

uteri capita quædam venarum ad uteri internam caritatem penetrantia, numero quidem in omnibus non uno, quorum usum quare apud præcitos auctores, quibus addere potes Fallop. in obseruat. Anatom. non longe à F. Bernesi. Physiol. lib. 1. cap. 2. & ante hos Gal. de diffus. vul. cap. ultimo. class. prima. & 1. de sem. cap. 7. class. 1. & 5. Aphor. 45.

S V M M A R I V M.

- 1 Qui conceptum per abortum data opera interimunt, iure merito à Legibus puniuntur.
2 Animatum conceptum interimens ultimo supplicio plectitur, inanimatum vero delens, poena extraordinaria puniuntur. Contrarium notum. 4.
3 Leges procurantes abortum non semper eadem poena puniri iubent.
4 Tex. l. si quis aliquid. ff. de penis examinatus.
5 Fetus homo non est. & num. seq.
6 Fetus ubi de suo commodo azitur, & homo est, & pro iam nato habetur.
7 Nullum majus commodum, quam vita.
8 Prima ratio, cur magis debeat puniri, qui animatum conceptum interimunt.
9 Secunda ratio.
10 Absurdum esse affirmare, quem habere formam hominis, & non esse hominem.
11 Forma dat esse rei, ut num. seq. amplia.
12 Mutata forma interimitur substantia.
13 Qui animatum factum interimunt, hominem occidisse dici debet.
14 Tertiarius.
15 Plures abortus contingunt fieri inanimato existente, quam animato.
16 Quarta ratio.
17 Fetus vtrum diuerum spatio animatur.
18 Septem dierum spatio homo perficitur.
19 Quadragesimæ die fetus est integre formatus.
20 Fetus animatus est, cum perfecte est formatus.
21 Non est natus omnium formationis, & coagmentationis terminus.
22 Supra sexagesimum factus semper pro animato habendus est.

Quot dierum spatio animetur conceptus.

Q V E S T I O I X.

Qui conceptum per abortum data opera interimunt, iure merito à legibus puniuntur, ut in l. Dreus. ff. de var. & extraor. crimin. & l. Cicero. ff. de penis l. si mulierem. ff. ad l. Cornel. de sicar. l. si quis necandi, C. de sicar. & disponunt etiam constitutiones Pontificiæ c. Consulisti. quest. 3. & constit. Pontif. Sixti V. num. 107. in Summ. Bullarum, & testatur etiam ex Medicis Galeni libell. cui titulus, An animal sit id, quod in Vter. est, cap. ultim. class. 1. & ex recentioribus Wernich. de ort. mensur. cap. 36. Quoniam vero questio inter Iurisperitos est, an semper eadem poena veniant puniendi tam cum foetum animatum, quam cum inanimatum interimunt, idcirco videndum est, quo tempore animetur fetus, sed primo videamus opinionum circa infligendam poenam differentiam, ac profecto magis communis opinio videtur esse, eum, qui non animatum conceptum necavit, poena extraordinaria puniri debere, cum vero, qui animatum, ultimo supplicio

plectendum, ita tenet Glo. in cit. l. Dreus. ff. de variis & extraordinariis crim. quam sequuntur plures DD. Guliel. de sod. sing. 140. Inl. Clar. sentent. lib. 5. quest. 68. num. 2. Damohud. in Enchirid. par. aut Sim. in verbo Abortus. Vetus optm. comm. in verbo Allassu. num. 2. Chacher. decis. Pedem. 59. num. 2. & alios referunt Menoch. de Arbitr. lib. 2. cent. 4. cas. 356. num. 2. Rice. collect. decis. 590. par. 3. & collect. 1336. par. 4. Vide Farin. de homicid. q. 122. par. 6. num. 131. & seqq. & videtur ipsæ leges eandem habuisse mentem, cum abortum procurantem non semper eadem poena afficiant, sed aliquando poena extraordinaria puniri, aliquando autem ultimo supplicio plecti iubeant; ut in citatis l. Dreus. & l. Cicero. & l. si mulierem. & l. si quis necandi. C. ad l. Cornel. de sicar. quos textus, ne inter se discordes esse dicas, iure merito distinguendum videtur, priores tres loqui de procurante abortum inanimati foetus, posteriori de interimente foetum iam animatum, ut sentit Gloss. in prædicta l. si quis necandi verb. Infantis. Sed Menoch. ubi supra num. 7. distinctionem hanc admittere renuit, & indifferenter poena extraordinaria puniri voluit tam qui animatum, quam qui inanimatum foetum abortu eici procuravit, sed auctoritates ab eo pro se adductæ nihilomagus pro sua opinione, quam pro contraria facere videntur. tamen maxime suas sententia favore possit Sacer textus, Exod. cap. 21. vers. 22. & seq. qui multum confortare videtur cum legali textu, l. si quis aliquid. §. qui abortionis. ff. de Penis. nam verba pæne eadem videntur, licet causa non sit una, Sacer ergo textus ita habet: Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint, sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima. legalis vero tex. hæc habet: Qui abortionis, aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciunt, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur, quod si ex eo mulier, aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur. Tam Sacer ergo textus, quam legalis de mulieris quidem morte mentionem habent, at abortum simpliciter extraordinaria poena puniri voluerunt.

Tamen, si nostras leges attendere debeamus, textus dicitur l. si quis aliquid. non aliud innuisse videtur illis verbis, si mulier aut homo ex eo perierit, quam velle se, distinguere inter abortum animatum & inanimatum: cum enim supra dantes abortionis poculum poena extraordinaria plecti iussisset, addidit dehinc verba illa: Quod si ex eo mulier aut homo, hoc est animatus foetus perierit, summo supplicio affici debeat, ita ut verba illa, ex eo, non solum referantur ad poculum amatorium, sed etiam ad poculum abortionis. Et licet ex iisdemmet verbis inferri contendat Menoch. quod textus distinguit inter foetum, & hominem, cum foetus ex ejus sententia homo non sit, tamen Paul. quem refert Chacheran. ubi supra in ea l. si quis aliquid, voluit textum illum ita intelligi, ut verba illa eo modo, quo diximus accipiamus, ac si textus dixisset: si ex oblatione poculi abortionis mulier, aut conceptus animatus perierit, ad summum supplicium damnandus est is, qui obtulit. Et quamquam foetus in utero existens ad aliquos effectus homo non dicitur, ut in l. Falcidia. ff. ad l. Falcidiam. Traq. de Retra. §. 1. Gloss. 4. num. 78.

in l. si iniquum. C. de rev. donat. Gloss. susceper. lib. num. 142. tamen ad nonnullos alios effectus, & ubi præsertim de suo commodum agitur, non solum homo dicitur, & pro homine habetur, sed etiam pro iam nato. l. qui in utero. ff. de Stat. hom. Royz. decis. Litan. 1. num. 233. & decis. 3. num. 171. Sord. cons. 369. num. 22. tom. 3. quod si ad eum effectum, ut hæreditate patris fruatur, pro iam nato haberi debet, ad effectum, ne quis eum vita defraudare possit, multo magis pro iam nato habendus est: nullum enim majus commodum esse potest alicuius, quam vita, sine qua cætera omnia nihili existimanda censentur.

His tamen non obstantibus, germanus ac verus sensus eorum verborum; Quod si ex eo mulier aut homo perierit, erit ejusmodi: cum Lex imponat poenam iis, qui vel amatorium, vel abortionis poculum dant, & aliquando horum utrumque fiat vel nulla mulieris, aut hominis morte interveniente, alias autem contra; in priori casu poenam extraordinariam imponit, in posteriori ultimum supplicium minatur, quando nimirum extra poculo abortionis mulier, vel ex poculo amatorio quicunque homo moriatur, unde verbum illud, homo, referatur ad poculum amatorium, verbum autem, mulier, ad poculum abortionis, non autem utrumque ad poculum abortionis, ita ut per illud verbum, homo, foetus animatus intelligi possit. ac profecto hoc modo textu explicato, furere plurimum videtur Menochius, & etiam si Medici partes, & instituti hujuscæ operis terminos prætergredi fortasse videar, non tamen desitam, quin rationes contra ejus opinionem adducam, ex quibus magis plectendus veniat is, qui animatum, quam qui inanimatum conceptum peremit.

Et primo ac principaliter ratione animæ, quam is qui animatum foetum delet, sacro baptismatis lavacro expolians, uno eodemque tempore vita æterna depauperavit; quod si homicida, qui tamen temporalem vitam, quantum præsumere licet, solummodo adimit, mortis reus est, multo magis reus mortis debet esse is, qui poculum abortionis propinavit, & animatum foetum interemit, cum illum & temporalis & æternæ vitæ bonis una denudaverit.

Secundo, quia nulla differentia est inter animatum conceptum, & natum jam hominem: nam & ille, ut hic homo est, quia habet jam rationalem animam, ut probat abunde Gal. in lib. An animal sit, cap. 4. & luculentissime Nancel. in Analog. Microc. ad Macro. lib. 7. par. 4. probl. par. 3. de legitimo partu, habet ergo jam hominis formam, quod nullus controvertet; absurdissimum vero esset affirmare, habere illum formam hominis, & non esse hominem: nam forma dat esse rei, est commune Philosophorum axioma, & firmant ipsæ leges in l. Julianus. §. si quis. ff. ad exhibend. quod intellige non solum de esse simpliciter, sed etiam de esse individuali: nam per formam substantialem quicquid est constituitur in tali esse individuali, & idcirco mutata forma interimitur substantia, ut satis superque notum habemus Philosophi, & notat ead. l. Julian. ubi supra, iure ergo animatum conceptum abortu interimens, hominem occidisse dici debet, & homicida est. Consulisti. quest. 3. probat Hestren. in summ. lib. 5. de homic. casual. & volum. num. 2. & alibi tanquam homicida ergo hic ultimo supplicio iure puniendus est.

Tertio, quia procurans abortum animati foetus multo majorem vim Naturæ infert, nec solum conceptum perimit, sed & matri plurimum obest, illamque in multo majus discrimen trahit, ut notat Mercerial. lib. 1. de morb. mul. cap. 2. in fin. Cum enim fetus animatus non est, quia magis tenellus, & ligamenta habens admodum debilia, facile modica adhibita vi ab utero excidit, neque, cum anima careat, potest impendenti violentiæ ita resistere, ut quando animatus est, atque hinc accidit, quod multo plures abortus contingunt, cum foetus anima caret, quam cum animatus est, post sc. quadraginta dies, teste Hipp. in lib. de Nat. Puer. & Arist. 7. de hist. Anim. cap. 3.

Quarto, si is qui medicamentum præbet conceptionem impediens, aut generationem, tanquam homicida puniri debet, ut habetur ex cap. si aliquis. De homicid. cas. & volum. & ex constitutione Sixti V. in summ. bull. num. 107. Chacher. decis. Pedem. 59. num. 2. (licet sciam alios contrariæ opinioni libentius adhæsisse. Bos. in præct. crimin. tit. de homic. num. 9.) multo magis puniri debet, qui jam formatum, & animatum conceptum abolevit.

Seitu ergo mirum in modum lustritiam administrantibus necessarium est, quo dierum termino conceptus animatus existat, ne mitiori quam deceat poena atrocissimum delictum, quale hujuscemodi homicidii genus est, plectatur.

Ejus rei variæ, ac toto cælo inter se dissidentes opiniones recitantur; siquidem ex recentioribus sunt qui trium dierum spatio animatum fieri conceptum volunt, ita uterit, & longioribus fieri rationibus demonstrare nititur Thom. Fien. de Formatr. 21. fit. quest. 10. concl. 11. ex Hipp. tamen & Arist. auctoritate Mercerial. ubi proxime, septem diebus hominem perfici, & anima donari notavit. & apertissime illud ipsum manifestat idem Hipp. in lib. de Nat. Puer.

Menoch. ubi supra num. 3. ex Arist. & Plin. firmavit, conceptum, si masculus sit, quadragesima die esse animatum. Sic & lo. Aloy. Riv. in Prax. Archiep. Neapol. 609. num. 1. ex Bar. & aliorum opinione, masculum quadragesima, foeminam 80 animari firmat. sed Paul. in l. suum hered. num. 2. ff. de acquir. hered. & alii quos citat, & sequitur Chacher. ubi supra num. 3. indifferenter de quocunque conceptu verificari voluerunt, quod quadragesima die & formatus, & animatus sit.

Hippocrates varie variis in locis de foetus formatione locutus videtur, nam tunc animatur foetus, cum perfecte est formatus, ut tradit Gal. 15. de usu. part. cap. 5. class. 1. ex Hipp. ergo sententia eodem spatio animabitur foetus, quo vult eum perfecte esse formatum, quod plerumque diebus triginta in masculis, & duobus supra quadraginta in foeminis contingit, ut in lib. de Nat. Puer. & alibi habetur. Roder. à Cast. distinguens, lib. 3. de Nat. mul. cap. 6. inter animal, & hominem, volensque foetum ante animal esse, quam hominem, animam rationalem non ante tertium quartumve mensum infundi concludit, atque hic nova dubitatio insurgere posset, an scilicet abortum procurans ante tertium quartumve mensum, sed cum jam animatus conceptus est, eadem poena puniri debeat, qua puniendus esset, qui abortum procuraret post dictum tempus. & videtur dicendum, nil differre inter se inanimatum esse foetum, & anima rationali destitui; idcirco nulla consideratione dignum esse tale dubium.

24 Nos concludamus breuiter, quod licet non sit unus omnium formationis, & coagmentationis terminus, Gal. de fet. format. cap. 1. in princip. class. 1. tamen præstat Hipp. sententiæ adherere; nam & rationibus, & experimentis fulcitur, de quibus ibi per eum. Vel, ut medium quoddam eligamus, dicendum est, supra sexagesimum tam masculum, quam foeminatum, semper pro animato habendum esse, atque ea ratione teneri de homicidio, qui proveciorem conceptum bimestri abortu eijci procurauit, quod nulla controversione indigebit, si abortum ipsum conspiciere liceat: iudicio enim Medicorum facile patebit, an potuerit esse animatus, nec ne; in aliis vero casibus, ut supra, est procedendum. Legumperiti tamen post quadragesimum, verum foetum animatum fuisse, in dubio tenendum dicunt, quum scilicet non constat, an masculus fuerit, nec ne. Riccius ubi supra, num. 3. Sed tutior mihi piderit mea sententia, quia sunt ex masculis etiam, qui tardius quadragesimo animantur.

S V M M A R I V M.

- 1 Abortum faciens mulier peperisse dici non debet.
- 2 Abortivi non rumpunt testamentum.
- 3 Abortivi habentur tanquam non nati.
- 4 Non nasci, & natum mori, paria sunt.
- 5 Natus ante septimum, est abortivus. & num. 19.
- 6 Natus ante nonum, abortivus, contrarium numero sequenti.
- 8 Octimestris ex Tiraq. est abortivus. Consultat. nu. 9.
- 10 Non est de essentia partus, ut vitalis edatur, sed ut perfectus nascatur.
- 11 Abortus duplex acceptio.
- 12 Abortus lato modo acceptus qui.
- 13 Ejicere foetum, est abortire.
- 14 Etiam per diem ante, quam deberet, natus, lato modo est abortivus.
- 15 Abortus stricto modo acceptus qui.
- 16 A, vel Ab in principio nominis negationem denotat.
- 17 Quo ante septimum peperit, peperisse non est dicenda. distingue ut ibidem.
- 20 Naturaliter mulier non parit ante nonum.
- 28 Natus ante septimum, habet cum vita omnimodam repugnantiam.

Quinam partus proprie mereatur nomen Abortus.

Q V A E S T I O X.

Cum controverti possit inter Legumperitos, an mulier, quæ abortum fecerit, peperisse dicenda sit, cum aliâs Paul. recept. lib. 4. tit. 9. protulerit; Abortum, vel abactum ventum partum efficere non videri. & Tiraq. in l. si nunquam. Glo. suscep. lib. 1. num. 206. in fin. nolit dici posse, talem peperisse, & cum abortivi non rumpant testamentum. Bald. in l. cum proponas. Col. ult. C. de posth. hered. inst. Tiraq. ubi proxime num. 205. nam abortivi habentur tanquam si non nati essent, vel nati essent mortui, cum non nasci, & natum mori, paria sint. §. Dubitatum. Auth. de Incest. Nupt. Tiraq. ubi supra numero 167. Bologn. cons. 9. numero 42. unde illis applicari potest tex. l. Qui mortui. ff. de verb. signif. idcirco videndum est, quando proprie mulier abortum fecisse dicenda sit, & consequenter qui partus vere sit abortivus.

Et licet ad hanc materiam plenissime faciant ea omnia, quæ in prioribus hujus tituli quæstionibus adduxi, tamen peculiaribus hic nonnulla consideranda sunt. Quoad partum ergo omni proculdubio cuius notum est, natum ante septimum abortivum esse, non obstantibus iis, quæ adducunt ex Iureconsultis Concen. quæstione sing. 9. numero quarto. lib. 2. & Claud. Giardin. in libell. de part. dierum. 171. ex nostris autem Augem. de part. hum. lib. 1. cap. 1. & faciunt quæ in hoc eodem tit. retulimus quæst. 2. a num. 13. ad plures seqq.

Sed præcipuum dubium est de natis post sextum, & ante nonum: nam Lalamentius Medicus doctissimus, quem alias etiam adduxi ad hoc ipsum probandum. in lib. 2. Gal. de diebus decret. absolute voluit, nascentes ante nonum non solum non esse ex sua natura vitales, sed esse abortivos, cum tamen obtent illi omnium doctorum hominum auctoritates, præsertim quoad septimestrem: nam de octimestri aliâs dubitatum est, teste Gell. Noct. Attic. lib. 3. cap. 16. immo Tiraq. in cit. l. si nunquam. Gloss. ead. numero 205. octimestrem inter abortivos connumerari voluit, cum intempestive natus sit, & nullo modo vitalis ex eius sententia esse possit, sed hanc opinionem refellit Andr. Laur. Anatom. lib. 8. quæst. 29. & Augem. lib. 2. de part. hum. cap. 16. neque enim, inquit Laurentius, de essentia partus est, ut vitalis edatur, sed ut perfectus nascatur; sed quomodo perfectus edi dici potest, qui ita nascitur, ac si mortuus nasceretur, ut supra diximus?

Ego quid sentiam breuibus patefaciam, ac primo loco notandum est, abortum aliquando lato modo sumi, interdum vero strictius. Abortus lato modo acceptus est omnis foetus partus, qui ante diem sibi à Natura destinatum non sponte, sed ex aliqua vi, & accidenti nascitur, etiam si vitalis dehinc existat; sic Hipp. 7. Epidem. de Olympiade uxore octo mensibus utero gerente dicebat: Abortu quinto die sine labore est liberata, & 4. Epidem. tex. 64. Ejecit, inquit, septimestrem puellam, hoc est abortivit, nam ejicere est abortire. Tiraq. in l. si nunquam. ubi supra num. 206. in fin. & facit l. si servum. ff. ad l. Aquil. à Calep. adducta in verbo ejicere. sic etiam & Avic. 21. 3. tra. 2. cap. 10. dicebat abortum maxime timeri apud principium conceptionis, & ante appropinquationem horæ partus; & Trotula Medicus antiquus de pass. mul. capit. 38. remedia proponit ad abortum, qui fieri solet septimo, aut nono mense, ita lato modo etiam per diem ante destinatum terminum nascens foetus abortivus dici potest, etiam si nonimestris, vel decimestris existat. Proprius tamen ac strictius, Abortus est foetus intempestive editus, vel mortuus, vel nullo modo vitalis, licet Andr. Laur. ubi supra, velit, abortum dici etiam foetum tempestivum in utero mortuum; abortus enim nomen idem importat, ac si diceret non ortus, vel frustra ortus: nam hæc præpositio A, vel Ab in principio nominis posita negationem aliquando importat, ut in verbo Absens, quod idem importat, ac non præsens, & idcirco abortus parificatur ei, qui nunquam natus est. Tiraq. ubi supra numero eodem. Sura. consil. 347. num. 9. Tom. 3. Propterrime tamen abortus dici debet partus à causa præternaturali, aut externa per vim ejectus, dummodo non sit vitalis; nam & aliquando partus ejectus, ut dixi, vitalis esse potest, ut de septimestri & octimestri latius probavi supra quæstione tertia & quarta.

His

17 His ita se habentibus, dicendum est, mulierem, quæ ante septimum peperit, aut filium mortuum etiam justo tempore edidit, peperisse non debere dici, sed abortum fecisse aut ejecisse, nec patientium privilegium eam ob id gaudere posse, nisi iis, quæ ad corporis valetudinem ex partu concedi solent, nam majori ac molestiori valetudini subijcitur, quæ abortivit, quam quæ naturaliter peperit, contra verò, si post sextum, aut melius post initiatum septimum vivum foetum edidit, esse sentiendum: licet enim non ante nonum naturaliter mulier pariat, ut late probatum est, tamen quia impossibile est etiam non naturaliter natum, si ita vegetus sit, ut causam morbiticam superare possit, & alias aëris & partus injurias, aliquando vivere, idcirco peperisse dici potest, qui ergo ante septimum nascuntur, vel nascuntur mortui, quia abortivi sunt, neque do-

nationem, neque testamentum rumpere debent, quia, ut dixi, habendi sunt, ac si nunquam nati essent.

Nec obstarit, quod quis in sexto mense nasceretur, & per aliquot horas, aut etiam dies viveret, ut fieri posse non est ita impossibile, quin aliquando non contingat, cum alias vivere posse dicatur foetus, qui per momentum vixerit. Bar. in l. quod dicitur. ff. de lib. & Posth. nam quia 20 hic partus habet cum vita talem repugnantiam, ut vivere nullo modo possit, nisi ex miraculo, idcirco abortivus dici debet, neque testamentum, neque donationem rumpere, neque aliud quicquam illi prodesse, quod vero ac naturali partui prodesse solet; sic & mulieri talem foetum parienti nihil quicquam prodesse debet ita, ut ex ea causa parientium privilegiis gaudere debeat, nisi iis, quæ corporis valetudinem respiciunt.

Finis Tituli Secundi.



PAVLI

PAVLI ZACCHIE
Medici Romani,
QVÆSTIONVM
MEDICO-LEGALIVM

LIBRI PRIMI
TITVLVS TERTIVS

De Prægnantia, Superfoetatio-
ne, & Mola.

Continens Quæstiones septem;

quarum

- I. An prægnantia ex certis quibusdam signis possit infallibiliter cog-
nosci. Pag. 63
- II. De signis ex quibus prægnantia conjectura depremi potest. 97
- III. An detur superfoetatio. 72
- IV. Quid sit superfoetatio, quomodo, & quanto tempore post priorem
conceptionem fieri possit. 75
- V. Quid sit Mola. 77
- VI. Virum Mola absque viri concubitu generari possit. 78
- VII. An molam gerens mulier ad quosdam effectus prægnans dici de-
beat. 81